Epistola 170. Viro Rev. et Clariss. D. Joh. Coccejo, SS. Th. D. et P. 237

IOHANNES BUXTORFIUS.

S. P. Vir Clarissime et Praestantissime; Ultimas tuas mihi reddidit Ornatissimus et
Warendorpius Doctissimus Juvenis, quem mihi commendasti, qui huc venit comitatus cum suo Sympatriota
D. Holle, tuae etiam, ut intellexi, non tantum disciplinae, sed et consanguinitatis. Ambo
meae mensae et domui admisi, qui seipsos pietate, virtute, et doctrinâ ita commendant,
ut nihil non, quod in me vel apud me, ipsis pateat. Meipso uti possunt, quando et
quantum libet. Illi saepe, tum de vestra Academia, tum de Te, mihi retulerunt, quae
gratissima fuerunt. D. Holle his canicularibus, valetudinis firmandae causâ, Acidulis
Petrinis, prope Argentinam, quo et Uxorem meam miseram, usus, sanus et clarior inde
ante quindecim dies rediit. Alter, D. Warendorpio, interea, juxta cum meo et altero
e Studiosis, pro more nostrae Academiae, Lectionum Theologicarum aliquot vices à Fa-
cultate nostra demandatae, quas cum laude et honore obiit. Solide Studii Rabbinici ex-
ercitia quoque habet illudque cum Theologia conjungit. Habent etiam prae te Disputationum ex-
ercitia, et Practica quaedam, in quibus se exercent. Diligentiam et industriam suam unâ cum
aliis dotibus laudabiliter nobis probant. Commentarium tuum in XII Prophetas minores,
cujus nobis ad has nundinas spem fecisti, vehementer desidero videre, et avide expecto.
De D. Capello quod scripsisti, illum suis iteratis literis tuum quoque judicium et approba-
tionem urgere et flagitare, nihil miror. Ab aliis enim idem ad me scriptum, et hoc egisse
ut vel importunitate sua ab aliquibus quod suae causae faveat, eliciat. Hoc penitus hu-
minis illius ingenium. Percurri totum ipsius Criticam. Sed nihil ego inveni, quod vel me
à mea sententia dimovere potuerit, vel aliis magnopere utile, et ad Sacrarum literarum
illustrationem, nisi aliquem esse, mihi ipsum sit. In variis lectionibus fingendis ut nimis
audax et praeceps, ita in illis dijudicandis nimis temerarius et frigidus. Nihil ibi Succi et
Sanguinis: Agrum illum Spicilegiis ubique nimium plenum video, quoties Cri-
ticam illam inspicio, in hoc tamen diversus, quod in illo à Domino introductus Judex
Spiritus vitalis cuiquam essentiae, abducta teneat. Neminem in hunc usque diem, ne quidem ex ipsius amicis,
audivi, qui vel studium ejus in hoc negotio probet, vel opinionem praestitam laudet. Mea
Anticritica, D. V. ad sequentes nundinas prodibit. Sexaginta folia jam sunt impressa,
haud forsasse minus fiet, quod restat. Frontispicium, quod aliter his diebus delineavi,
ut Catalogo Francofortensi his nundinis inseratur, his adjungo. Opus est bipartitum. In
priore parte Quaedam retineo, in Tractatu meo de Punctis proposita contra hanc Criticam,
contra ipsius Defensionem, vindico. In altero Sex Criticae libros perstringo, et ex singulis
speciebus Variarum ejus lectionum, exempla sat multa examino, lectionem receptam
confirmo, et variam lectionem refello. Locum Hos. 12. v. 5. à te notatum, ego quoque
tum jam notaveram. Quid magis ridiculum, imo absurdum, quam illud [illegible]. Talia
illic plura. Prudenter judicas, non credibile esse, à pueris et seni temporis hominibus
nivelli potuisse, in dissipatione, artificiosam illam et accuratam punctandi rationem: ab-
surdissimum, in genio linguae aliquid ab iis mutatum. Optime deprehendis, te non multo
facilius potuisse reperire loca, in quibus vel Chaldaeus vel Graeci aliter potius legisse,
quam per incuriam legendum putaisse, sint dicendi. Addis, te videre ad rem redisse
ut in singulis locis, qui sollicitantur, quantum intersit veritatem lectionum retineri, ratio-
num ponderibus adstruatur; ita tamen, ut manifestis indiciis melioris lectionis, quae vel
Chaldaeis, vel Graecis versionibus comprobatur, non difficulter cedamus. Illud equidem
quamplurimis in locis, in meis Vindiciis egi, ut receptam lectionem adstruerem: at fa-
teor me rarissime talia melioris indicia lectionis reperisse, quae me permissent permovere,
ut receptam lectionem de ejus amoveam. Sed de hoc displicies suo tempore, ubi meas
meditationes videbis D. V. [Vices vestrarum florentissimarum regionum ex animo
dolemus, Deum rogantes, ut motus hos flucluantes velit componere, et almam vobis pacem
clementer largiri: speramus illum excitaturum Pacificos quosdam animos, qui his dissidiis
se interponant, et Mediatores agent. Vale Vir Rev. et Clariss. et me, quod facis,
ama. Dat. Bas. Kal. Sept. 1652.

Sexagina

fol. 691.

Rev. T. omni cultu et honore
addictiss.
Joh. Buxtorfius.

Viro Reverendo et Clarissimo,

D. JOHANNI COCCEJO,

SS. Theol. D. et Professori in

Academia Leydensi celeberrimo,

Amico pl. honorando.

Leyden.